

Summa Concionum.

- somnum item dulciorem concessit* : Unde dicitur Ecclesiast. 5. num. 10. *Dulcis somnus operanti*. D. Chrylost. de Virg. cap. 70. legit. *Dulcis est seruo somnus*. Dormit enim sub cura ac vigilia Domini sui.
8. At Regum curæ, & vigilia maximè eorum somnos interrumpunt, & non sinunt eos dormire, unde graves & duri morbi eos vexant. De Pharaone Egypti Rege dicitur *Putabat se stare super fluvium, de quo ascendebant septem boves*. Genes. 41. n. 1. & quare non in throni, & palatii tranquillitate, sed in fluminis fluctibus ostenditur esse Pharaonem, quando pingues vacæ monstrantur à macilentis vorari? Cum ibi ostenderetur fames, quæ Egyptios oppressura erat, meritò ostenditur Princeps, non in quiete, & tranquillitate, sed tanti mali fluctibus urgeri, & agitari, & molestari. Ut dicat Cassiod. 6. Variar. c. 3. *Cum Pharaon Rex Egyptius de periculo futura famis urgeretur, putat se stare super fluvium*. Et ita dicitur in text. citato loco n. 8. de Rege, quod factò mane pavore perterritus misit ad omnes sapientes. Chald. & factò mane conturbatus est spiritus. Septuaginta, *Turbata est anima eius*. Oleaster, *Contusus est spiritus ejus*. Quæ omnes lectiones indicant multum animi angorem, afflictionem, ac molestiam, ob curam Regni sui, ac suorum.
9. Magnus Rex Job de se testatur c. 29. num. 7. *Quando præcedebam ad portas civitatis, & in platea parabant cathedram mihi*. Ut rectum nempe iudicium cunctis facerem, ut pater ex Text. Septuaginta legunt. *Cum exhibam matrinus in civitate*. Bonus Rex præ cura populi sui, non dormiebat, sed vigilabat, ut omnia suorum subditorum investigaret; avertens ab eis mala, & bona providens, multaque pietate pro afflictis agens pauperisque liberans. Ad hoc tendit Olympiod. in Catena Græca. *Tanquam Princeps quidem, ait, ac magister ceteri ad virtutem; sic nec somno nec ebrietatibus indulgebat, sed charitate commotus de mane in plateis residebat*.
10. Supremus omnium Regum Jesus cum Crucifixus penderet in ligno, ait D. Matth. 27. n. 45. *A sexta autem hora, tenebra facta sunt super universam terram, usque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna dicens: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Valde mirum, meus Jesus inter verbera, inter illusiones, inter clamorum tormenta, tacuit. Cur modo sic clamat *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Antea præmissæ fuerant tenebræ, quæ totam terram operiebant; sub quibus populus Judæorum, ac multi increduli internè, & externè involuebantur, inde bonus Jesus, qui pro suis doloribus tacuit, pro suorum malis sic cepit angere. Nam ibi gemitus, ibi clamor, ibi quasi querelæ in Jesu Judæorum, ac totius Orbis vero Rege, quando subditi, sub tenebris ac cæcitate apparent. Oigen. homil. 35. in Matth. *Quandiu fuit solis lumen, ait, etiam tanta, & talia sustinens non dicebat: Quare me dereliquisti? Postquam autem vidit super omnem terram Judæorum, usque ad horam nonam tenebras factas: dixit magna voce, quare me dereliquisti. Vide in Indice Vatabl. Prælatum, vel Rex.*
11. Secundò. *Qui dat salutem Regibus*. Pro eorum salute maximè exorandum. Quia cum bonus Rex infirmatur, ac perit, simul cum eo infirmantur, ac pereunt subditi. *Erunt signa in sole, luna & stellis*. Luc. 21. n. 25. Si pro magno miraculo habetur, quod in conspectu solis, unà appareat stella, quomodo ergo in ultima die apparebunt simul Sol, Luna & stella? In omnibus his diebus Sol fulget, & resplendet, in ultimis verò temporibus, eclipsim patietur, & quando Sol ut Princeps calligine obfuscatur, etiam stellæ, tanquam inferiores sub eisdem tenebris involvuntur, & cum suo Principe eclipsim patientur.
12. De potentatibus, ac magnatibus loquens Job, ait, cap. 26. n. 5. *Eccce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant in eis*. Ad supremam Dei potestatem indicandam sufficiebat lamenta, ac gemitus potentium virorum explicare, quia Deus sic potens est, qui auferit spiritum Principum, ut ipsos involvat sub aquis tribulationum, infirmitatum, sed cur additur, *Qui habitant cum eis*. Crediderim id additum non tantum ad ostendam Dei potentiam, sed etiam Principum conditionem, qui nesciunt soli ire in tempestatem laborum, ac infirmitatum, absque eo, quod simul secum taptiant alios, D. Thomas. *Quia, ait, non solum ipsi pereunt, sed multi alii cum eis, & tunc postea subiungit: & qui habitant cum eis similiter gemunt*.
13. *Qui dat salutem Regibus*. Salus Regis maximè à Deo petenda, quia hæc magni habetur apud subditos. Cum Joseph non esset agnitus à fratribus suis, & eos exploratores diceret, proindeque in testimonium veritatis eorum, quæ dicebantur ait illis Joseph. *Per salutem Pharaonis, non egredimini hinc, donec veniat frater vester minimus*. Genes. 42. num. 15. non jurat per vitam, ac salutem suam, ac suorum filiorum, sed per salutem Pharaonis, quia hæc in majori æstimatione, ac veneratione ei erat, quàm propria vita, ac salus, tam suam quàm suorum filiorum, nam in Rege venerabatur summam Dei potentiam, ac declarabat suum affectum erga Deum, qui talem Regem constituit. Thomas Anglicus. *Juravit Joseph, ait, per salutem Pharaonis, tanquam in Pharaone venerans regiam potestatem à Deo datam, & tanquam per notabilem Dei effectum, qualis erat profectò Pharaonis vita, & salus*.
14. *Qui dat salutem Regibus*, hæc salus maximè à Deo deprecanda. Per intercessionem B. Virg. Mariæ, ad cujus devotionem ingenti animi affectu, Rex noster propensus, ac adductus est, inde ab ejus eximio favore hujusmodi salus exoranda est. Cum venisset Jacob in Mesopotamiam, & à pastoribus quaesivisset, nunquid nostis Laban, qui responderunt *novimus*. Tunc Jacob Genes. 29. num. 6. inquit, *Sanus est? valet inquit; & ecce Rachel, quæ typus, ac figura extitit. B. Virg. Mariæ, & cum umbra hujus sanctissimæ Virginis apparet, statim omnis homo sanus est, & valet. Ejus potentia morbos fugit, sanitatem communicat, ac infundit*.

CON

Summa Concionum.

CONCIO XIX.

In professione alicujus monialis.

THEMA.

Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Plal. 65. n. 13.

1. Ait Regius Vates *Introibo in domum tuam*. Alii legunt in templum, seu locum tabernaculi. Ubi pueri Deo dicati, ac Sacræ Virgines servabantur. In holocaustis offerens tibi holocaustum. Holocaustum autem erat, in quo tota victima consummabatur in laudem Dei. Et rectè Deo holocaustum offert, qui seipsum Deo dedicat, & consecrat. *Reddam tibi vota mea*, id est votivas oblationes promissiones Deo factas. *Quæ distinxerunt labia mea*. D. Hieron. legit, *quæ promiserunt labia mea*, Alii legunt, *quæ de dulcis labii voci*.

2. D. Bernard. serm. 62. ad fororem, seu de modo bene vivendi. Totum locum interpretatur de Virgine monasterium ingrediente. Et sic ait, *Rogo seror dilecta, ut dicas cum Propheeta*. Introibo in domum tuam id est in monasterium, in holocaustis, id est in spiritu contritionis & compunctionis. *Reddam tibi vota mea*. Id est me integram offeram tibi, in ara cordis, quam tibi voci. Altius rem expendamus.

3. *Introibo in domum tuam*. Valde mirum, quod una tenera puella tanto amore feratur in Deum, ut non per aliquod tempus, sed per totum, vitæ cursum relinquat paternam domum, parentes, fratres, & amicos.

4. Animam sanctam vocat tripliciter Divinus Sponsus. Cant. 4. num. 8. *Veni de libano, veni de libano, veni coronaberis*. Tripliciter vocatur & libanum non capit. Valde mirum vocatur adolescentula à monte vasto, ad urbem Regiam, à vili cata ad aulam, à ligone, à centone ad sceptum & purpuram. *Veni, coronaberis, &c.* Et moras adhuc necit, nec legitur quod tanto dono vocata venerit, sic à solo patrio rusticano, exire jubetur, inde cunctatur, quod invenit Bruno Carthusian. *Neque enim, ait, facile illi erat Patriam, parentisque relinquere*. Maximè vim sibi factam reluctat pia Virgo, ne dulces fugiat læres paternos.

Forsthan hoc didicit bona adolescentula à primo parente Adamo, qui conditus est extra felicissimum voluptatis paradysum, ut insinuat Moyses Gen. 2. n. 15. ubi ait, *Tulit Deus hominem & posuit eum in Paradiso voluptatis*. protulit, legit, Græc. *Apprehendit*, quod propriè significat, multa vi, ac conatu fugientem hominem tenere. Itane fugam captat homo, quem Deus conatur educere de rudi agro in hortum fortunatissimum? quo ergo motivo Adamus sic reluctat, ut videatur fugere. D. Ambros. Job. de parad. cap. 4. sic ait, *Vides quia, qui erat apprehenditur? Erat autem in terra plasmationis sue, &c.* Erat Adamus in illo agro, scilicet Damasceno, ut communiter dicitur, tanquam in natali, ac paterno folio, & ita erat illi durum ab eo exulare, ut quodammodo fugere videretur, & inde necesse fuit cogi à Deo, ut agrum

maternum mutaret, ac permutaret, cum amenissimo hortulo.

6. Apparet Deus Abrahamo, & ait illi. *Egrede-re de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstravero tibi, & faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi*. Et alias multas benedictiones profertur Deus, Genes. 12. num. 1. & 2. quem locum tractans D. Stephan. Actor. 7. num. 2. ait, Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahamæ, non casu Sancti. Levit. vocat hic Deum gloriæ, sed ex alto inspiramine, ut notantur D. Chrylost. Oecum. ac si non solum deus Abraham ingentes promissiones dedisset, sed etiam illi totam gloriam suam ostendisset, ad hoc ut ei persuaderet exire de terra sua de domo patris sui, ac cognatione sua, ex quo maximè extollenda laudibus puella, quæ nulla visione facta, nec permissione data, sed tantum ex Dei amore, ut ei serviat, exivit de domo patris sui ac de cognatione sua.

7. *Introibo in domum tuam in holocaustis*. Offerens seipsum in holocaustum. In hanc rem optimè differit Rusticus Cardin. Sancti Rom. Ecclesiæ disp. sua contra Acephalos in Bibliot. 6. tom. part. 2. Adducens b. paulum Hebr. 9. num. 9 dum de ingredientibus Religionem sic ait. *O felix anima, quæ Christi vestigia sequitur*. Qui non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta. *Sic & Religiosa anima ingreditur in Sancta Religionis claustra, non offerens sanguinem hircorum, aut vitulorum, ut olim faciebant Sacerdotes in lege, sed semetipsam consecrat, & dedicat per Religionis vota in sacrificium, ac holocaustum perpetuum*.

8. præclare b. Chrylost. homil. 1. de Anna, comparat inter se duplex ipsius Annæ sacrificium, unum ex vitulo 1. Reg. 1. n. 4. alterum ex puero Samuele oblato, ut in templo perpetuo remaneret, *Abid*, num. 28. & hoc secundum priori anteponit, & sic ait. *Gominum fit sacrificium: & erat vitulus ille irrationalis, hic rationalis; & illum quidem Sacerdos immolavit, hunc verò dedicavit mulier; & erat mulieris vitima melior, quàm hostia, quàm obtulit Sacerdos, ut patet quod hæc suorum viscerum facta est immolatrix*. Illustrius sacrificium mulieris, quàm Sacerdotis, nam hic obtulit victimam, illa verò sua viscera, ac semetipsam.

9. Et inde deprehenditur excellentia hujus sacrificii, super sacrificium Abrahamæ, nam Abrahamus & mulier obtulerunt filium morti. Ille temporali, hæc vero civili, ac Religiosæ; At Abrahamus filium vivum reportavit, mulier verò semetipsam, suamque viscera in Filio perpetuo Deo consecravit. Sit ait b. Chrylost. citat. *Imitata est Anna patriarcham Abraham, cumque illo certamen suscipit, sed ille quidem filium receptum reduxit de monte, hæc verò reliquit in templo, ut ibi perpetuo maneret*. Hæc nostra virgo cum Abrahamo certamen suscipit, hic filium vivum reportavit, hæc verò se suamque voluntatem perpetuo dedicavit Deo in Ecclesia sub alterius potestate.

10. perfectionem Apostolicam explicans paulus 2. Corinth. 12. n. 14. ait. *Nec enim asserunt filii*

Summa Concionum.

filii parentibus thesaurizare, sed filiis parentes; Ego autem libentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris. Charitas Apostolica transcendit omnem paternalem, amor enim paternalis facit, quod parentes bona sua reservent filiis suis; At verò Apostoli pro suis ovis non solum bona dabant, sed etiam semetipsos in sacrificium, offerebant, ut bene ad citat. locum commentatur. D. Chrysol. *Parentes quidem filiis thesaurizare lex natura precipit. Ego autem non solum hoc facio, sed & metipsum addo, & ista excellentia est.* Hanc Apostolicam perfectionem imitata est bona adolescentula, dum non tantum sua bona temporalia reliquit, sed etiam seipsam per Religionis vota Deo dedicavit.

11. Nil terrenum in se admittens, sed omnia terrena in se comburens & extinguens; Abrahamus immolaturus filium suum, ascendebat in montem. *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum, ipse vero portabat in manibus ignem & gladium.* Genes. 22. num. 6. Cur Abrahamus igne, & gladio utramque occupat manu? Aut cur non in una ignem, & gladium portat? vel saltem quare ignem Isaac non tradidit cui ligna sportanda tradiderat? Montem ascendebat Abrahamus obedientia armatus, & amore Dei inflammatus, ut filium immolaret, hinc utraque manu ignem & gladium portabat, ut denotaret, quod sic ad illam functionem, omnem suam vim & conatum adhibebat, ut in se extingueret, ac refecaret, quidquid temporalis, ac terreni affectus erat; Philo Hebræus lib. de Cherubim ait. *An non vides, quod sapiens ille Abrahamus, quando incipit iuxta Deum metiri omnia, nihil creatura tribuens, accepit ad ignem gladii similitudinem ignem & gladium refecare, & excurrere quidquid mortale habebat, ut expedita cogitatione sublimis ad eum evolveret.* Vide cap. 1. q. 67. num. 579. & 80.

12. Reddam tibi vota mea. Pro quo audiendus est eleganter D. Bernard. serm. 60. ad foreorem, jam citatus, & sic ait. *Quicumque ad gaudia aeterna desiderat pervenire, necesse est, ut bona, qua Deo promisit, studeat adimplere.* Unde Prophetia Plal. 75. n. 12. ait. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro. At si dixeret, vos ipsos vovete, & reddite, quia necesse est, ut qui vovet etiam reddat, quia vovendo se debitorem fecit; & melius est, non vovete, quam post votum promissa non solvere.* Reddere proprie significat rem debitam, seu retentam solvere, homo vovendo se fecit Deo debitorem; ergo semetipsum totum Deo dedit, & consecravit, in omnibusque Deum intendat.

13. Quid illustrius, & excellentius, quam creaturam se totam Deo mancipare, hoc enim ceteris excelsius est, & per antonomasiam magnum dicitur De Nazareth scribitur Numer. 6. n. 2. *Vir sive mulier, cum fecerit votum, ut sanctificetur. Ubi Septuaginta transferant, Cum magnum voverit votum.* Cujus appellationis rationem reddens Philo Hebræus lib. de sacrif. ait, *Nazaræus seipsum dedicat, & ideo magnum hoc votum appellatur. Nihil enim quisquam possidet seipso pretiosius qua possessione tunc ceditur.*

14. Iterum sicut in citato Ntmi. loco. *Vir, sive mulier cum fecerit votum, ex Hebræo legitur, Cum mirificaverit se vovendo votum.* Sic & legit D. August. lib. loquutionum, sepe similiter alii legunt, *Cum mirandum aliquid fecerit.* Nam revera sua, & se quempiam voluntate, & voluptate abdicare, & totum se in Divinum obsequium tradere, ac devovere, tam magnum est, ut quodammodo hominem ad divinam conditionem transferat. Origen. homil. 24. in Num. *Si offeram Deo, ait, justitiam nostram, accipiemus ab eo justitiam Dei; Et si offeramus ei nostram castitatem, accipiemus ab eo ipsius castitatem; & si offeramus ei sensum nostrum: accipiemus ab eo sensum ipsius.*

15. Unde citata homilia late & amplè in hanc rem sic disserit ipse Origenes. *Valde magna fuerunt antiqua sacrificia. Abrahamus filium suum in holocaustum; Jephthe filiam suam sacrificavit. Sic Sacerdotes Antiqui pecora; ut boves, arietes, quæ sunt quid extrinsecum, at verus imitator Christi, non aliquid offert extrinsecum, sed tantum semetipsum, suamque libertatem, vestigia Christi sequens, qui semetipsum pro nobis obtulit.*

CONCIO XX.

Ad fratres pro capitulo, seu electione facienda.

THEMA.

DA locum timori Altissimi, & in omni sapientia dispositio legis. Eccles. 19. n. 18.

1. Ait Ecclesiasticus *Da locum timori Altissimi.* Ex radice Hebræica legitur, *Da locum spiritui altissimi*, ut ipse divinus Spiritus ingrediatur ad animas nostras. *Et in omni sapientia.* Tygurin. *In omni intelligentia dispositio legis.* Ut communiter explicatur *ad discernendum bonum, ac malum.*

2. Maxime exponendum est, quod sapiens ait; *Da locum spiritui altissimi.* Spiritus Sanctus Deus est, proindeque in omni loco adest, ipsumque replet, quomodo ergo dicitur, quod ei demus locum? quia sic aliquando cor nostrum repletum est prava affectione, odio ac amore, ut in eo Divinus Spiritus, non habeat locum. Coruscantur hodie nostri Religiosi, Missam de Spiritu sancto cantant, ipsumque invocant. *Veni Creator Spiritus.* Sed quomodo ipse venit, cum corda nostra repleta sint maligna affectione, iniquo odio, amore, ac ambitione. *Date locum Spiritui Altissimi*, mitemus ergo corda nostra ab omni inordinato affectu, ut Spiritus Sanctus veniat, & illuminet pectora. *In omni sapientia dispositio legis.* Ut ipse Divinus Spiritus veniens nos instruat in vera intelligentia nostræ obligationis, legis, ac constitutionis, *ad discernendum bonum, & malum.* Ut eligamus bonum, & fugiamus malum.

3. *Da locum timori Altissimi, seu Spiritui Altissimi.* In quo primum maxime electores admonentur, ut suum munus, suam obligationem recogitent, ut tanquam Religionis filii dent locum Spiritui Altissimi, ut advertant, & ante oculos habeant Religionis bonum, & ultique

Summa Concionum.

ejulque convenientiam.

4. Cum Petrus confiteretur Christum Filium Dei. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Tunc eligitur à Christo caput totius Ecclesiæ. *Tu es Petrus & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16. n. 18. Cur hæc electio non fit ob eminentissimi num charitatis actum, ut quando in possessione ipsius Pontificatus est constitutus. *Petre amas me.* Ut ita electio respondeat possessioni; vel cur non eligitur ob illam heroicam Martyrii voluntatem. *Petrus sum ire tecum in mortem, & in carcerem.* Vel cur non ob illum admirabilem Religionis actum. *Domine exi à me, quia homo peccator sum.* Sed tantum ob actum fidei eligitur, cum confiteretur Christum Filium Dei; magna sapientia disposuit Dominus, Pontificem Ecclesiæ suæ creare, quando Christo representatum fuit, quod ipse erat Dei Filius D. Paschal. *Tunc Petrus eligitur caput Ecclesiæ Dei, cum Christum manifesta voce Filium Dei faceret.* Quamvis Christus D. semper esset in actuali cognitione suæ naturæ, tamen ob documentum nostrum, tunc voluit constituere pastorem Ecclesiæ Dei, quando ei objectum fuit ante oculos, quod ipse erat Filius Dei. Vultis, o Religiosi, bonum Prælatum eligere, recogitate, quod filii Religionis estis, & inde ei maxime stricti, & quod pastor illius vester etiam sit pastor.

5. Graviter ponderat D. Basil. Seleuciens. quod præcepit Deus Samuëli, ut tenderet in domum Itai Bethlehemitis. *Resisti enim in filiis ejus mihi Regem.* 1. Reg. 16. n. 1. Videtur quod aliquod erat motum Prophetæ, ut valde moelus pergeret, nam ipse secum pensitavit, quod Deus ei mandavit facere aliam electionem, scilicet Saül, qui ut valde malignum, inobedientem, ac sacrilegum, ambitiosumque se exhibuit, cur ergo Deus in hac electione Davidis cogitandum animum Prophetæ aliquo levamine non recreat? Dicens vade lætandus, nam hic eligendus omni virtute erit repletus, ut de illo dicatur. *Inveni hominem secundum cor meum.* De illoque me filium esse gloriose decantabo, tamen plus Deus dixit, quam si omnia illa magnalia de Davide explicasset, ait enim deus, *providi mihi: Si deus dixisset; Elige Israël, vel alteri poterat esse aliqual dubium, an eligendus esset bonus, vel malus; at cum Deus ait, providi mihi.* Apertè testatur sibi eligere. Inde planum & apertum est; meliorem, & excellentiorem sibi eligere. D. Basil. Seleu. Orat. 14. *Providi mihi animam Spiritus receptionem bene compositam.* Si deus ex eo quod ait sibi providere Regem, denotat meliorem eligere: nos ergo viri Religiosi, non aliis eligimus, sed tantum nobismetipsis, ergo meliorem, & aptiorem eligamus.

In omni sapientia dispositio legis. In quo denotatur modus procedendi in electione, non attendendo ad amorem, ac affectum, sed tantum ad dispositionem legis, ad bonumque Religionis regimen.

Cum Pharaos haberet notitiam de Joseph, educiturque de carcere, & stans in ejus præsentia; Tunc Rex proponit ei secum somnium cuius germanam interpretationem reddidit Joseph; Admiratus Rex ait, *Nam inveni-*

re poterimus talem virum qui spiritus Dei plenus sit: Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium, cunctus populus obediet. Gen. 41. n. 38. & 40. Merito admiratur Abulenſis, quomodo Pharaos ad tantum apicem extollit Joseph, nullo examine, ac inquisitione facta, de ejus nomine, ætate, parentibus, ac progenie. Cum tamen eo tempore, quo David egrediebatur contra Philisthæum, dixit Saül ad Abner, *De qua stirpe descendit hic adulescens.* 1. Reg. 17. numer. 55. Cur ergo Pharaos non interrogat de persona, ac progenie Joseph, Saül vero de Davidis persona inquit, *De qua stirpe descendit hic adulescens.* Movebatur ipse humano affectu, ac spiritu odii, & amoris, & ideo non ad merita, sed ad personam attendit. At vero Pharaos ducatur, divino spiritu, ac impulsu, denudatus ab omni affectu carnis, ac sanguinis, & ideo non respiciebat personam, sed illius merita, intelligentiam nempe, ac sapientiam, quia si humanus affectus non quaerit merita, sed personam, divinus vero impulsus est contra, merita & non personam respicit. Et hoc magno & alto examine, ut bene consulatur regimini Religionis, ac republicæ.

8. Ut eligatur Saül in Regem ait sacer Text. 1. Reg. 10. n. 20. *Et applicavit Samuël omnes tribus Israël, & cecidit fors tribus Benjamin, & applicavit tribum Benjamin, & cogitationes ejus, & cecidit cognatio Merri, & perveni usque ad Saül filium Cis.* Ad eligendum Regem appositus Samuël omnes tribus, ex quibus egreditur tribus Benjamin. Secundo egreditur cognatio Merri: Tertio domus Cis; & quarto Saül, electio fiebat dei nutu; Cur non primo jactu creatur Saül ad quid tot fortes? Procopius. *Ne ignis humani studii, & favoris esse suspicaretur. Sorti judicium permisit Prophetæ, ut quod Deo visum esset, declararet.* Per fortes fit electio, ut notum fiet, quod non ad peculiare res, sed tantum ad dei nutum attendebatur; Ut convenientior, & aptior eligeretur. Maxime tamen in rem nostram, ad quid tot fortes? Perbellè D. Gregor. Magn. sic ait. *Quid in hoc facto significatur, nisi quia Sancta Ecclesia Principes, multa consideratio eligendi sunt.* Tot fortes ex alta divina Providentia interponuntur, cum tamen res primo jactu fieri posset, in documentum nostrum, quod fortes illæ erant veluti actus reflexi considerationis nostro modo dicendi, qui divina virtute ad electionem fiebant pro nostra eruditione, quod si divina virtute tot actus ad eligendum interponuntur, quot, & quantos suæ considerationis debent homines adhibere, ut bene eligant, ne in eligendo errent.

9. *In omni sapientia dispositio legis, ad discernendum bonum & malum.* Ut communiter Interpretes explicant. Ecce merito finis bonæ electionis, discernere inter bonum & malum, ut eligatur bonum, & declinetur malum, quod ut bene fiat, maxime attendendum est ad merita, ad prudentiam, ac experientiam eligendorum, ut optimè dignitas meritis correspondeat.

10. De Christo D. ait Isaias c. 9. n. 6. *Factus est Principatus super humerum ejus.* Cur Principatus non constituitur in capite, ubi corona imponitur?